CONCILIUM

Provinciale Tertium Beneventanum,

QUOD

SANCTISSIMUS PATER, AC DOMINUS NOSTER

BENEDICTUS

PAPA XIII.

Antea Fr. VINCENTIUS MARIA Ord. Præd.
Card. URSINUS, Archiepiſcopus,
& Metropolita,

HABUIT

Diebus I. V. & XII. menſis Maji Æræ Chriſtianæ Anno MDCCXXIX.

ROMÆ, MDCCXXIX.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.
SUPERIORUM FACULTATE.

BREVE
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI
PAPÆ XIII.

Quo Christifidelibus omnibus Metropolitanam Beneventanam, vel Cathedrales, sive majores Beneventanæ Provinciæ Ecclesias, tempore tam inchoationis, quam celebrationis Tertii Provincialis Concilii, visitantibus, plenariam Indulgentiam, etiam per modum Suffragii Purgatorii Animarum applicandam, elargitur.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Universis Christifidelibus præsentes Literas inspecturis Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

UM Nos Tertium Concilium Provinciæ Beneventanæ propediem, benedicente Domino, in Metropolitana nostra Ecclesia Beneventana peragere statuerimus, nonminus ex Sacrorum Canonum, & præcipuè Concilii Tridentini, necnon Lateranen. per Nos novissimè celebrati præ-

ſcripto, quam ut Venerabiles Fratres Archiepiſcopos ad id ipſum in ſuis quoque Provinciis præſtandum Noſtro exemplo excitemus, agnoſcentes cum Beato Jacobo Apoſtolo, quod omne datum optimum, & omne bonum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, qui iis, qui poſtulant à ſe ſapientiam, dat omnibus affluenter, quò tam pium, ac neceſſarium opus majori cum fructu perficere valeamus, & ad augendam Fidelium religionem, & animarum ſalutem cœleſtibus Eccleſiæ Theſauris pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui eandem Metropolitanam, ac Cathedrales, & majores dictæ Provinciæ Beneventanæ Eccleſias, die, qua dictum Concilium inchoabitur, ac omnibus, & ſingulis diebus, quibus illud actu celebrabitur, per Nos, ſeu Ordinarios reſpectivè locorum deſignandis, devotè viſitaverint, & ibi pro felici ejuſdem Concilii ad Dei gloriam, Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſervationem, morum reformationem, & publicam Eccleſiarum præfatæ Provinciæ Beneventanæ utilitatem directione, necnon pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam, ſemel tantùm per unumquemque Chriſtifidelium hujuſcemodi lucrifaciendam, omnium peccatorum ſuorum Indul-

gen-

gentiam, & remiſſionem, quam etiam Fidelium Defunctorum animabus, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac vita migraverint, per modum ſuffragii applicare valeant, miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus poſt celebrationem dicti Concilii minimè valituris. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die prima Februarii MDCCXXIX. Pontificatus Noſtri Annò quinto.

F. Card. Oliverius.

Gratis pro Deo etiam Scriptura.

TITULORUM

Tertii Provincialis Concilii Beneventani.

INDEX ALPHABETICUS

Edictum

EDictum *Indictionis Tertii hujus Concilii*, & Decreta I. *De inchoanda Synodo*. II. *De ratione vivendi in Synodo*, & *aliis in eadem servandis*. III. *De Ministris Synodalibus*. IV. *De præjudicio non afferendo*. V. *De non discedendo*. VI. *De Patrum vocatione*. VII. *De professione Fidei*, & *de cæteris hujusmodi*, *habentur in actis*, *quæ in Archiepiscopali Archivo servantur*. Methodus *autem totius actionis*, *quæ præcessit*, *comitata*, & *subsequuta est Concilium ipsum Provinciale*, & Edictum *publicationis actorum*, *sunt eadem*, *mutatis mutandis*, *quæ in primo Concilio*, *jam typis dato*, *leguntur*.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

N. Baccarius Episcopus Bojanen. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Jo: Benedictus Zuannelli Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

CON-

CONSTITUTIONES

Tertiæ Synodi Provincialis Beneventanæ.

BENEDICTUS

PAPA XIII.

Archiepiscopus Beneventanus, & Metropolita, *de Consilio, & assensu Venerabilium Fratrum Coepiscoporum nostrorum, qui ad Dei gloriam, & honorem in hanc Provincialem Synodum convenerunt, hæc statuimus, & sancimus.*

TITULUS PRIMUS

De Summa Trinitate, & Fide Catholica.

CAPUT UNICUM

Edictum de Christianæ Doctrinæ rudimentis edocendis, in primo nostro Concilio Provinciali evulgatum, innovatur.

IN nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Licet omnem hactenus diligentiam adhibuerint Episcopi, ut Christifideles, præsertim parvuli, Catholicæ Doctrinæ rudimentis imbuerentur, cum tamen eos parum in re tanti momenti profecisse intellexerit hæc Sancta Synodus, ne-

 dum

dum ob negligentiam Parochorum, ſed etiam ex Miniſtrorum inopia, innovandum cenſuit, prout præſenti Decreto innovat, Edictum in primo noſtro Concilio Provinciali jam evulgatum, & in calce harum Conſtitutionum apponendum; addens præterea, quod omnes Eccleſiarum Conventualium, ſeu Receptitiarum Participantes, & Clerici in Minoribus, vel Sacris Ordinibus conſtituti, ubi opus fuerit, adjutores ſe præbere debeant Parochis in Parvulorum inſtructione; quod ſi renuerint, Presbyteros remediis opportunis Epiſcopi compellant, Clericos verò ad majores Ordines non promoveant, niſi præfinitum ab eiſdem Epiſcopis, ſeu Ordinariis puerorum numerum in Fidei Chriſtianæ initiis erudierint.

TITULUS II.

De Conſtitutionibus.

CAPUT PRIMUM

Præcedentium Conciliorum Provincialium obſervantia demandatur.

S. Tho. 2. 2. q. 92. art. 1. ad 4.

CUm perſpicuum ſit, legem non prodeſſe homini, niſi legi obediat (a), fruſtra ſuperiora Provincialia Concilia celebrata fuiſſent, niſi, quæ in ipſis rectè, & conſideratè ſancita ſunt, implerentur. Idcircò Epiſcopos omnes in Domino hæc Sancta Synodus obteſtatur, ut præcedentium Conciliorum Provincialium Decreta ipſi potiſſimùm ſervent; cum ſicuti dignitate, ita & exemplo cæteris præire debeant; & ab aliis etiam, ad quos ſpectant, curent totis viribus obſervari.

C A-

CAPUT II.

De Concilii Provincialis publicatione, observantia, & interpretationis reservatione.

QUod in priore nostro Concilio Provinciali decrevimus, idem in præsenti repetendum ducimus, ut scilicet infra sex menses a completæ impressionis die in suis Diœcesibus Episcopi decreta publicent: post tres verò menses ab evulgatione observentur; & si quid dubium, aut anceps emergat, à Metropolita germani sensus explanationes petantur, quibus standum erit, quousque in alio Provinciali Concilio quæstiones obortæ dirimantur.

CAPUT III.

Capitulorum, Collegiorum, ac Ecclesiarum Conventualium Statuta præscribuntur.

SAlubriter quidem in primo nostro Concilio (a) sancitum fuit, ut Capitula Statutis carentia infra sex menses ea conderent, & Episcopis examinanda deferrent, in secundo verò (b), ne ullus excusationibus daretur locus, Capitularia hujus nostri Metropolitani Capituli exhibuimus, quo facilius ad eorum normam cætera possent effingi. Ad hæc accessit fel. record. Clementis Papæ XI. Prædecessoris nostri mandatum, qui datis ad Nos Literis in forma Brevis die 5. Aprilis 1715. de eorumdem Decretorum executione se certiorem fieri velle significavit. Quapropter omnibus hujus nostræ Provinciæ Episcopis denunciavimus, ut de prædictorum Statutorum efformatione nobis referrent, quemadmodum fusiùs videre est in Edicto die 27. ejusdem mensis, & anni typis commisso, quod dabitur in Appendice. Quod cum

(a) Hoc tit. cap. 1.

(b) Hoc tit. cap. 4.

unus tantum, vel alter impleverit, ne provida hæc decreta amplius negligantur, ut infra duos omninò menses Capitula Cathedralium, Collegiatarum, ac Conventualium Ecclesiarum, quæ statutis carent, eadem conficiant, & Episcoporum examini submittant, districtè præcipimus, & mandamus, sub pœna suspensionis à Divinis, ipso facto contra primam Dignitatem, & Procuratorem supradictarum Ecclesiarum, Episcopis reservata, qui tamen eos ad sacra revocare, & absolutionis beneficio donare minimè valeant, nisi reipsa paruerint; aliàs ipso pariter facto se noverint à Pontificalibus esse suspensos.

CAPUT IV.

Participantium numerus in Ecclesiis Conventualibus, seu Receptitiis designetur. Qualitates eorumdem ab Episcopis approbentur.

Quamplures audivimus hac in Provincia Receptitias Ecclesias, seu Conventuales extare, in quibus, ob multiplicem Participantium numerum, ad congrua singulis alimenta præstanda reditus non sufficiunt, maximo cum Ecclesiastici Status dedecore, itaut illud Isaiæ (a) usurpari meritò possit: *Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam.* Huic autem malo mederi, ac consulere cupientes, statuimus, & decernimus, ut in prædictis Ecclesiis, inspectis, & attentè eorum proventibus, & oneribus consideratis, illum tantum Participantium numerum, juxtà Canonicas Sanctiones (b) Episcopi designent, ac præscribant, qui ex Ecclesiæ facultatibus honestè sustentari possit, singulis Participantibus annuos saltem ducatos quinquaginta addicendo, comprehensis Missarum eleemosynis, quas in ipsis Ecclesiis Receptitiis celebrari contigerit; quod tamen arbitrio, & pru-

[a] *Isa. 9. 3.*

[b] *Cap. Quoniam de Vit. & Honest. Cl. cap. Non amplius, & cap. Auctoritate de instit., Sac. Cong. Conc. in Cassanen. 23. Iulii 1590., in*

prudentiæ Episcoporum relinquitur, qui secundum Regionis morem, ac servitii præstandi merita redituum distributionem edicent.

Sypontina Rhodii 8. Martii 1664. S.C.Epif. in Sypontina S. Io. Rotundi 31. Aug. 1691. & in Sypontin. Vicis 4. Septembris 1694.

De eorum verò juribus, qui modò Ecclesiis prædictis sunt adscripti, aut partem jam obtinent, declaramus, nihil omninò innovandum, sed tantùm inhibendum esse, ne ullus Ecclesiis ipsis denuò aggregetur, quousque ad præstitutum numerum Participantes devenerint.

Mandamus insuper Episcopis singulis, ut eos tantùm inter Participantes referre curent, quorum vitæ probitatem, doctrinam, Cantus Gregoriani, ac Sacrorum Rituum peritiam per examen cognoverint, & approbaverint.

TITULUS III.

De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum.

CAPUT UNICUM.

Ad Sacros Ordines nemo provehatur, nisi Cantus Gregoriani scientia præstet.

Quoniam tam nobilis est, tamque utilis rectè canendi disciplina, ut, qui ea caruerit, Ecclesiasticum Officium congruè implere non possit (*a*), Sancta hæc Synodus, primi nostri Concilii Provincialis Decretis inhærendo (*b*), Episcopis cunctis injungit, ut nullum Sacris Ordinibus initient, qui per aliquem Gregoriani Cantus Magistrum, ab iisdem specialiter deputatum, non sit probatus.

[a] *Raban. Maur. de instit. Cleric. lib. 3 cap. 24.*
[b] *Hoc tit. cap. 8.*

TITULUS IV.

De Officio, & poteſtate Judicis Delegati.

CAPUT UNICUM.

Secularium Eccleſiarum ornamenta, a Regularium Superioribus benedicta, ſuſpenſa denunciantur.

Quamvis in ſuis, & pro ſuis tantùm Eccleſiis veſtes Sacras, cæteraque ad Divina Myſteria peragenda neceſſaria, benedicere poſſint Regularium Superiores, nonnullos tamen audivimus ea facultate abuti, & Eccleſiarum Secularium ornamenta Sacra, ſuis Eccleſiis ſimulatè donata, benedicere, quæ poſtmodum eodem donationis titulo ipſis Secularium Eccleſiis reſtituunt. Abuſum hunc, ut evellat Sancta Synodus, ſupellectilia, per Regulares prædicto modo benedicta, a Sacris Myſteriis ipſo facto ſuſpenſa ſtatuit, ac declarat.

TITULUS V.

De vita, & honeſtate Clericorum.

CAPUT UNICUM.

Cleri Congregationes hebdomadales præcipiuntur: Qui, & ubi intereſſe tenentur?

Uberrimos percipi fructus ex iis Cleri Conventibus, in quibus Sacrorum Rituum, & Moralis Theologiæ quæſtiones diſcutiuntur, nemo profectò igno-

ignorat. Has propterea Congregationes femel in hebdomada cogendas in qualibet hujus Provinciæ Civitate, ac Vicaria foranea juffit primum noftrum Provinciale Concilium (a); quam quidem faluberrimam fanctionem præfentis virtute decreti fancta hæc Synodus renovat, ac ulterius declarat, omnes omninò facris initiatos, Canonicos, Parochos, & Confeffarios (etiam Regulares, in quorum tamen Conuentibus moralis Theologiæ lectio non habetur; fi renuerint, ab audiendis Confeffionibus fufpendendos) fupradictis collationibus intereffe teneri, ac remediis opportunis per Epifcopos adigi poffe. Hujufmodi verò Cœtus in Cathedralis Ecclefiæ Secretario, vel fi minus hoc fuerit capax, aut humiditate, aliove vitio laboret, in Epifcopalis aula Palatii, dummodò magna loci intercapedine a communi Civium habitatione Epifcopium non fit fejunctum, convocabuntur.

(a) Tit. 17. cap. 9.

TITULUS VI.

De Sepulturis.

CAPUT UNICUM.

Mutua inter Provinciales Epifcopos in extremis obfequia innovantur.

CUM omnes hujus Provinciæ Epifcopi, qui ad primam, & alteram Provincialem noftram Synodum convenerunt, viam univerfæ carnis ingreffi fuerint, ne iis, qui Defunctis fuccelfere, ultima, cum tempus advenerit, defint pietatis Officia, fancta Synodus mutua illa chriftianæ charitatis obfequia, ad quæ Prædeceffores fe fe obftrinxerunt (b) in extremo vitæ

(b) Tit. 23. cap. 1.

vitæ spiritu præstanda, innovat, & præcipit, eadem prorsus suspensionis per annum à Pontificalibus adversus negligentes constituta pœna.

TITULUS VII.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

CAPUT UNICUM.

Montium Frumentariorum erectiones commendantur.

UT pauperum inopiæ, qui mutuo egentes usurariorum avaritiæ fervire coguntur, levamen aliquod afferre possint Episcopi, qui Patres pauperum sunt, Montium Frumentariorum institutionem proponit hæc sancta Synodus, quibus profectò nihil utilius ad graves egenorum necessitates reparandas experientia compertum est. Regulas idcircò pro recta prædictorum Montium erectione, & administratione in Appendice tradi mandavit, quæ in hujus Archidiœcesis CLX. Montibus adamussim servantur, ut unum eumdemque Provinciales Ecclesiæ hac in re teneant modum, quem à Metropolitana cognoverint institutum, & usu probatum.

TITULUS VIII.

De Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris.

CAPUT UNICUM.

Ecclesiæ, de quarum Consecratione dubitatur, iterum sunt dedicandæ.

QUod primi nostri Provincialis Concilii constitutione (*a*) sancitum fuit, ut Cathedrales, Conventuales, & Parochiales Ecclesiæ, ad Divini Cultus incrementum, & Christianæ plebis utilitatem consecrarentur, exequi nonnulli hujus Provinciæ Episcopi neglexerunt, eam obtendentes causam, quod de earum inauguratione ambigebatur. Ad futiles hasce excusationes amovendas, ex Sacrorum Canonum, (*b*) sententia declaramus, eas Ecclesias, de quarum Consecratione hæsitatur, itaut nec scriptis authenticis, nec testibus fide dignis ratio certa habeatur, utrum fuerint canonicè dedicatæ, sed tantum ex æquivocis signis, ut sunt Cruces in parietibus, earum Consecratio deduci prætenditur, denuò sacris esse ritibus initiandas; quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur ritè peractum. Nec cuique negotium facessat, quod aliquibus in Ecclesiis, super quarum Consecratione dubitatio habetur, dedicationis officium quotannis celebretur; hujusmodi quippè solemnitates ad eorum, quæ insigniter gesta sunt, memoriam custodiendam recoluntur; quod verò etiam num consecratæ sint, probare minimè valent.

[a] *Tit. 24. cap. 1.*

(b) *Can. Solemnitates 1. de consec. dist. 1. Can. Placuit de consec. dist. 4.*

C T I-

TITULUS IX.

De Magistris.

CAPUT UNICUM.

Seminariorum constructio inculcatur. Cum erigi non possit, ubi erudiendi sint Clerici, denunciatur.

QUam utilis sit, ac necessaria ad puerorum educationem, & Cleri disciplinam servandam Seminariorum institutio, cum ex Tridentini Concilii Decreto (*a*), & quotidianis experimentis abundè pateat, supervacaneum est hic recensere. Ut prælaudatæ œcumenicæ Synodi provida mandata perficerentur, in primo nostro Provinciali Concilio (*b*), vestigiis inhærendo alterius Concilii Provincialis Decimi, a clar. mem. Cardinali Sabello Archiepiscopo anno 1567. celebrati, constitutum fuit, ut pro Seminariorum erectione bonorum Ecclesiasticorum taxatio conficeretur, juxtà formam ibidem præscriptam, & sicubi, taxatione peracta, Seminario erigendo reditus essent impares, Clerici saltem aliquot, ad rationem fructuum ex præstituta summa percipiendorum, in Seminarium Metropolitanum, aut aliud commodius, vel vicinius instituendi mitterentur. Opus autem hoc adeo pium, ac salubre omissum, immo neglectum a plerisque huius Provinciæ Episcopis agnoscentes, ne diutius novis excusationibus protrahatur, Seminaria designanda censemus, in quibus Clerici Diœcesum, Seminariis carentium, bonis moribus, ac disciplinis Ecclesiasticis informari possint, ex supradicta taxatione pro unoquoque alumno ducatos tantum triginta annuos contribuendo. Statuimus itaque

[a] *Sess. 23. de refor. cap. 18.*

[b] *Tit. 44. cap. 2. 3. 4.*

Pro

Pro Diœcesi Montis Marani Seminarium Abellinense.

Pro Diœcesi Guardiæ, & Thermularum Seminarium Larinense.

Pro Diœcesi Asculana Seminarium Trojæ.

Pro Diœcesi Bovinensi Seminarium Ariani.

Atque ita deinceps servari volumus, nisi Clerici ad Metropolitanum Seminarium convenire voluerint, donec in eisdem Diœcesibus Seminaria, Deo dante, construantur.

TITULUS X.

De Usuris.

CAPUT UNICUM.

Ne fœneratitia labe contractus inficiantur, Instructio exhibetur.

AD usurariam pravitatem compescendam, quæ nunc, ut cum maxime, nimis latè patet, multorumque animos occupavit, in contractus diligenter oculos intendant Episcopi, ne qua fœneratitia laborent pactione: Confessarii pariter usurariorum conscentias in lanternis scrutentur; fodientes namque parietem (a) abominationes pessimas videbunt, quas isti faciunt. Quod ut facilius præstent, Instructionem, quæ in Appendice exhibetur, perlegant, & ad ejus normam contractus omnes dirigere curent.

(a) *Ezechielis* 8. 9.

DECRETUM

De Concilii Conclusione, & dimissione.

HÆc sunt, quæ Spiritui Sancto, & Nobis visa sunt decernenda Sacro in hoc Concilio, quod optatum finem consecutum complemus. Quocirca ipsum, Deo, qui idem cœpit, & perfecit, gratias agentes, concludendum, ac dimittendum esse decernimus, & conclusum, ac dimissum denunciamus.

EGO BENEDICTUS Ecclesiæ Catholicæ Episcopus, & antiquus hujus Provinciæ Metropolita de consensu, & assensu Venerabilium Fratrum Coepiscoporum meorum Definiens subscripsi.

Ego Frater Adeodatus Ordinis Eremitarum S.P. Augustini Episcopus S. Severi, & Civitatis consentiens subscripsi.

Ego Philippus Episcopus Arianensis consentiens subscripsi.

Ego Dominicus ex Cler. Regul. Episcopus Lucerinus consentiens subscripsi.

Ego D. Joannes Paulus Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti Episcopus Abellinen., & Frequentinus consentiens subscripsi.

Ego Salvator Episcopus Thermularum consentiens subscripsi.

Ego Joannes Andreas Episcopus Larinensis consentiens subscripsi.

Ego Dominicus Episcopus Trivicensis consentiens subscripsi.

Ego Franciscus Episcopus Thelesinus consentiens subscripsi.

Ego

Ego Mutius Episcopus S. Agathæ Gothorum consentiens subscripsi.

Ego Dominicus Episcopus Vulturariensis, & Montis Corvini consentiens subscripsi.

Ego Dominicus Antonius Episcopus Muranus Procurator specialis Reverendissimi Patris Angeli Mariæ Porphirii Episcopi Alipharum ejus nomine interfui, & consentiens subscripsi, & omnia, & singula in hac Sancta Synodo Acta, Decreta, edita, & promulgata ejus, & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Petrus Abundius Episcopus Guardiæ Alferiæ consentiens subscipsi.

Ego Philippus Episcopus Targensis Vicarius Generalis Archiepiscopalis, à Sac. Conc. ad Votum decisivum admissus, consentiens subscripsi.

Ego Joannes Episcopus Montis Marani consentiens subscripsi.

Ego Nicolaus Xaverius Episcopus Cyrenensis Procurator specialis Reverendissimi P. Nuntii Baccarii Episcopi Bujanensis, & Sepinensis ejus nomine interfui, & consentiens subscripsi, & omnia, & singula in hac Sac. Synodo Acta, Decreta, edita, & promulgata ejus, & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Joannes Petrus Episcopus Trojanus eligens consentiens subscripsi.

Ego Bernardus Antonius Episcopus Constantiensis Vice-Metropolitani Capituli Abbatis Oppidi S. Lupi, nullius, consentiens subscripsi.

Ego Antonius Episcopus Asculanus, & Herdonen. consentiens subscripsi.

Ego Frater Antonius Ordinis Minorum Conventualium Episcopus Bovinensis consentiens subscripsi.

Ego D. Gallus Galluccius Abbas Generalis Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti, & Ordinarius Jurisdictionis ejusdem Sacri Montis, nullius, Provinciæ Beneventanæ eligens consentiens subscripsi.

Ego

Ego Franciſcus Theſaurarius Colucci Vicarius Generalis, & Ordinarius Terræ Alberonæ pro Sacra Religione Hieroſolymitanæ conſentiens ſubſcripſi.

In quorum fidem &c.

Ego Nicolaus Xaverius Epiſcopus Cyrenenſis Secretarius ſubſcripſi &c.

IN DEI NOMINE. AMEN.

PRæſenti publico Inſtrumento cunctis ubique pateat, & notum ſit, qualiter in prima Seſſione Sacri Concilii Provincialis Tertii, habita in Eccleſia Metropolitana, die Dominica prima currentis Maji 1729. de mane poſt Miſſam Pontificalem, à Sanctiſſimo Patre, & Domino noſtro, Domino BENEDICTO Papa XIII., antea Fratre VINCENTIO MARIA Ordinis Prædicatorum Cardinali URSINO, Archiepiſcopo noſtro, ac Metropolita, decantatam, & cæteras preces in Pontificali Romano præſcriptas, Sermonemque habitum in ambone per Sanctitatem Suam, fuerunt publicata per Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Nicolaum Xaverium Santamaria Epiſcopum Cyrenenſem, Sacri Concilii ſupradicti Secretarium, ex altero ambone prima Decreta, videlicet: *De inchoanda Synodo: De ratione vivendi in Synodo: De Miniſtris Synodalibus: De præjudicio non afferendo: De non diſcedendo: De vocatione Patrum*. In ſecunda verò Seſſione, celebrata die Jovis quinta ejuſdem menſis Maji, pariter de mane poſt Sacrum, Pontificaliter ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Domino Philippo Tipaldi Epiſcopo Arianenſi perſolutum,

tum, aliasque preces in eodem Pontificali Romano descriptas, & Sermonem habitum in ambone ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Fr. Antonio Lucci Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium Episcopo Bovinensi, per supradictum Dominum Secretarium fuit publicatum Decretum *De Lectione Decretorum, & Constitutionum*, quod incipit: *Bullas multas Pontificias &c.*, ut videre est ex actis ejusdem, & successivè publicatæ, & promulgatæ fuerunt ejusdem Sacri Concilii Provincialis Constitutiones usque ad Titulum III. *De ætate, & qualitate Ordinandorum*, inclusivè. In tertia verò Sessione habita quoque die Jovis, duodecima ejusdem mensis Maji itidem de mane, persolutis Missa Pontificali, celebrata ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Joanne Paolo Torti Congregationis Montis Virginis Ordinis S. Benedicti Episcopo Abellinensi, cæterisque precibus statis in Pontificali Romano, habitoque etiam Sermone in solito ambone ab Illustrissimo, & Reverendissimo Domino Dominico Maria de Liguori Clericorum Minorum Episcopo Lucerino, idem Dominus Secretarius prosecutus est promulgationem omnium reliquarum Constitutionum usque ad Titulum X. *De Usuris* inclusivè. In eadem tertia Sessione, continuata prædicta die duodecima post Vesperas, latum fuit Decretum *De subscribendo*, & omnes, & singulæ Constitutiones prædictæ in præsenti Sacro Concilio Provinciali contentæ, celebratæ, & promulgatæ, lectæ, latæ, & gestæ, in nostrum præsentia subscriptæ in Cornu Evangelii Aræ Maximæ fuere à prælaudato Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO Papa XIII., omnibusque Illustrissimis, & Reverendissimis PP. Coepiscopis, cæterisque Prælatis Ordinariis assistentibus, in memorata Sancta Metropolitana Ecclesia, coram Reverendissimo Metropolitano Capitulo, Collegiis, atque Cleris Urbano, & Foraneo.

Super

Super quibus omnibus, & singulis petitum fuit à Nobis Notariis publicis infrascriptis, ut unum, vel plura publicum, seù publica conficere, atque tradere deberemus Instrumentum, vel Instrumenta, prout opus fuerit, & requisiti erimus.

Actum Beneventi in memorata Ecclesia Metropolitana, hac præsenti die duodecima mensis Maji 1729. Indictione septima, Apostolici Pontificatus Sanctitatis Suæ anno quinto, Beneventani quadragesimo quarto, ordinationis verò quinquagesimo quinto, præsentibus, audientibus, intelligentibus, & inspicientibus Venerabilibus Presbyteris Laurentio Macchia, & Gaspare Cardone, ac Clericis Ignatio Lombardi, & Philippo Rampone Beneventanis, Testibus ad hæc specialiter vocatis, habitis, atque rogatis.

Quare nos in præmissorum fidem de prædictis omnibus rogati, & requisiti hic subscripsimus, & consuetis signis signavimus.

Ita est Carolus Thesaurarius Pedicinus publicus Apostolica Autheritate Notarius, Protonotarius nuncupatus, ac præsentis Sacri Concilii Notarius de prædictis rogatus, atque requisitus meum Sigillum apposui.

Locus ✠ Signi.

Ita est Bartholomæus Bibliothecarius Pellegrini publicus Apostolica Authoritate Notarius, Protonotarius nuncupatus, & præsentis Sacri Concilii Notarius de prædictis rogatus, atque requisitus Sigillum meum apposui.

Locus ✠ Signi.

ELEN-

ELENCHUS THEOLOGORUM

Pro Causis, & materiis Synodalibus deputatorum.

PAter Joseph Maria Amati Ordinis S. Benedicti Congregationis Cœlestinorum Abbas.
P. Magister Dominicus Dogana Ordinis Prædicatorum Provincialis.
P. Franciscus Maria Castaldi Ordinis Sancti Augustini Provincialis.
P. Ignatius Tauro Societatis Jesu.
P. Januarius à S. Philippo Nerio Scholarum Piarum Rector.

ELENCHUS DECRETALISTARUM

CArolus Maurone U. J. D. Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Archipresbyter.
Thomas Garzia U. J. D. Vicarius generalis Vulturariensis.
Horatius Arminio U. J. D. Cathedralis Abellinensis Canonicus.
Euplius Cirillo U. J. D. Collegiatæ Ecclesiæ Oppidi Castelli Trivicanæ Diœceseos Primicerius.
Ferdinandus Lignelli U. J. D. Collegiatæ Ecclesiæ Foggiæ Trojanæ Diœcesis Canonicus.

APPENDICE

Al Terzo Concilio Provinciale Beneventano

Dell'Anno MDCCXXIX.

I.

EDITTO SINODALE

Per facilitare il metodo di ben'insegnare la Dottrina Cristiana in esecuzione del Concilio Provinciale.

Citato nel Tit.I. Cap.I. pag.9.

Al Tit.I. de Summ. Trinit. & Fide Cath.

NON basta dare il latte, quando il modo di porgerlo sia così disadatto, che non ne riceva il lattante il desiderato nutrimento. Tal difetto habbiamo scoverto con molto nostro rammarico nell'instruzione, che si fa della Dottrina Cristiana a' fanciulli; imperocche, se bene i nostri Parrochi della nostra Provincia non mancano sostanzialmente di somministrare il latte della Cristiana pietà, coll'ammaestrargli nella medesima Dottrina, però alcuni lo fanno con modo così confuso, ed inetto, che sono cagione a' figliuoli, che o non l'apprendono bene, o almeno indigestamente, e con difficoltà. Onde per ovviare a questo disordine di non poco momento habbiamo stimato necessario di prescrivere in questo nostro Editto il metodo facile, e chiaro, col quale dovrassi in avvenire nella medesima nostra Provincia insegnare la Dottrina Cristiana.

I. Ne'

I. Ne' giorni di festa, stabiliti dal nostro Concilio, il dopo pranzo, oltre al solito segno della campana della Chiesa, subito si manderà uno, o due figliuoli de' più diligenti, e divoti, secondo la grandezza della Parrocchia (ed in loro mancanza il Cherico Parrochiano), che col campanello vadano per le strade dicendo: *Padri, e Madri mandate i vostri figliuoli alla Dottrina Cristiana, altrimenti ne renderete stretto conto a Dio*.

II. Si eleggeranno due persone adulte delle più zelanti, e caritative, col titolo di *Pescatori*, che tenendo le bacchette in mano, vadano con piacevolezza ragunando i Parrocchiani alla Dottrina, a' quali concediamo 20. *giorni d'Indulgenza* nella consueta forma della Chiesa, ogni qualvolta faranno questa opera di pietà, esortando a questo esercizio così santo le persone più nobili, e cospicue de' luoghi, acciocchè più facilmente s'inducano gli altri ad intervenirvi. Ed in mancanza de' Laici suppliranno i Cherici, e Preti della Parrocchia, e sarà uffizio di questi stessi il fare, che i figliuoli nel tempo dell'esercizio stiano colla dovuta modestia, e senza strepito in Chiesa.

III. Si divideranno in più Classi secondo il numero, e capacità de' Parrocchiani, che sono obbligati ad intervenire alla Dottrina, facendo, che per ogni Classe siano otto, o dieci al più, distribuiti in modo di circolo, & ad ogni Classe presederà col titolo di *Maestro* un Sacerdote, o un Cherico, o altra persona delle più intendenti, e più pratiche nella Dottrina Cristiana; adoperandosi de' figliuoli medesimi; col deputare per *Maestro* quello della Classe Quarta alla Classe Terza, quello della Terza alla Seconda, e così delle altre.

IV. Si procuri, che siano le Classi almeno quattro per gli figliuoli, e quattro per le figliuole: nella I.

delle quali si assegneranno per iscolari i principianti, e s'insegnerà la Dottrina piccola del Bellarmino dal §. *Sete voi Cristiano?* fino alla dichiarazione del *Credo*. Nella II. Classe dalla dichiarazione del *Credo*; fino alli *Comandamenti di Dio*. Nella III. dalli *Comandamenti di Dio* fino alle *Virtù Teologali*, e *Cardinali*. Nella IV. dalle *Virtù Teologali*, e *Cardinali* fino al fine. Essendovi poi moltiplicità di Parrocchiani da istruirsi, si moltiplicheranno le Classi, suddividendole, secondo il bisogno.

V. Si faranno tanti cartelloni, quante sono le Classi, ne' quali scriverassi con lettere majuscole, CLASSE PRIMA, CLASSE SECONDA, CLASSE TERZA &c., e distribuiti proporzionalmente i luoghi, si affiggeranno sopra i medesimi cartelloni, acciocchè ogn'uno sappia la sua Classe. Ed inoltre in un libretto si noteranno tutti que', che si stimeranno atti per la tale, e tale Classe. Nè si faranno passare da una Classe all'altra superiore, se non que', che col parere de' Maestri si faranno benissimo impratichiti delle cose, che s'insegnano nella Classe inferiore.

VI. Gli Arcipreti, Parrochi, Rettori, o Vicarii Curati rispettivamente dovranno assistere, diriggere, e regolare tutte queste disposizioni. Ed acciocchè riescano col dovuto ordine, decoro, e frutto, procureranno di essere tutti in tutte, e tutti in ciascheduna delle suddette Classi, studiando di avere chi loro coadjuvi, massimamente i Preti delle Chiese Contuali, o siano Ricettizie, ed i Cherici costituiti negli Ordini Minori, ed ancor Sacri, con avvisare, quando i medesimi siano negligenti, i loro Vescovi, i quali puniranno i Preti colle pene, che stimeranno opportune, ed i Cherici col non promovergli agli Ordini Maggiori; e tacendo la colpa si rovescerà a danno degli stessi Curati.

VII. Gli

VII. Gli obbligati ad intervenire alla Dottrina Cristiana saranno i maschi dalli sette anni fino alli quattordici, e le femmine dalli sette fino alli dodici, e se i Padri, e le Madri, ed i Padroni per gli Servitori, ed Operarj, saranno trascurati in mandarli, dopo la terza, e quarta monizione da farsi loro da' Parrochi, siano i medesimi trascurati sottoposti dal proprio Parroco all'interdetto personale, ad arbitrio prudente de' Vescovi. Se poi i Parrochi saranno conniventi, ed indulgenti, soggiaceranno essi alla pena delle altrui mancanze.

VIII. Quando vi fossero degli adulti, che non sapessero bene i misterj più principali della nostra fede, e le cose più necessarie a conseguir l'eterna salute, restino i medesimi astretti, sotto la pena dell'*interdetto dall'ingresso nella Chiesa*, ad arbitrio pure de' proprj Vescovi, ad intervenire al Catechismo, o sia breve Instruzione, che si farà da' Parrochi, come appresso num. X. dopo il Vangelo della loro Messa Parrocchiale, o della Messa de' Cappellani. Si esortano pertanto tutti, tanto huomini, quanto femmine ad intervenire alla Chiesa nel tempo di questo esercizio della intera Dottrina Cristiana; con avvertenza però, che le donne adulte si facciano stare in un luogo distinto della Chiesa, separate totalmente dagli huomini, concedendo 20. *giorni d'Indulgenza* a que', che interveranno, e 40. a coloro, che insegneranno.

